



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

LV. P. Nicolaus Smogolenski

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

vicinâ loca diripientibus in communi cæde interfectus est sepultusque extra muros ejus urbis.

LIV. P. MARTINUS MARTINI Tridentinus *Zum chim* Imp. anno 16. (1643.) prædicavit fidem in Prov. *Che kiam* oppido *Lan ki* ubi Ecclesiam fundavit: dein perrexit in Aulam. Inde ingressus Prov. *Fo kien*, ac tandem ex Europa rediit in *Che kiam*, operâ Proregis magnificam Europâ formâ extruxit Ecclesiam, in quâ Imp. *Xun chi* anno 18. (1661.) diem obiit. Sepultus est in loco *Fam cim* dicto. Ab eo edita.

De Deo & animæ Immortalitate ex Lessio.

De amicitia.

Contra Metempsychosim Bonziorum.

LV. P. NICOLAUS SMOGOLENSKI Polonus, eodem anno 1643. prædicavit in Prov. *Nan kim*. Postea *Xun chi* Imp. anno 10. (1653.) ingressus Aulam, copiam sibi fieri postulavit prædicandi fidem in Tartariâ. Sed ex mandato Regis permissus tantum est in quocumque alio Imperii loco pro libitu Dei legem prædicare. Tandem profectus in Prov. *Quam tum* urbem prætoriam *Chao kin*, obiit ibidem, & sepultus est extra muros. Ab eo edita.

Mappa Mundi Ellip.

Haecenus, qui sub Imperatoribus Familiae *Tai min* ingressi memorantur, è Societate nostra 56. praecones Evangelii, dilatata jam fide Christiana per alias octo Provincias, *Pekin, Honan, Suchuen, Xensi, Xansi, Huquam, Fokien, Xantum*, praeter quatuor memoratas supra Provincias saeculi praeteriti. Qui sequuntur ingressi Imperante Familia *Tai cim* Tartaro-Sinica, sub qua Ecclesiae quae haecenus privatae & quasi domesticae fuerant, tandem publice erectae & apertae sunt.

LVI. P. ANDREAS XAVIER COFFLER Germanus *Xun chi* Imp. anno 6. (1649.) primus venit in Prov. *Quam si* Metropolim *Quei lin*, ubi Ecclesiae jecit fundamenta. Hujus operam anno 1650. baptizata Imperatrix Helena, & Regina mater Anna, & haeres Imperii Constantinus, & Colaus *Pan* Achilleus. Sed deinde occiso à Tartaris Imperatore *Yum lie* ejusque filio, Reginae abductae sunt in Aulam Tartari, ubi expensis Regis aluntur & Christum constanter colunt. Anno verò *Xun chi* Imp. 13. (1656.) P. Xavier obiit, & in Prov. *Quam si* sepultus est.

LVII. P. MICHAEL BOYM Polonus *Xun chi* Imp. anno 7. (1650.) venit praedicatum fidem in Prov. *Quam si*: unde mox in Europam legatus est cum litteris Imperatricis Helenae ad Alexandrum VII. Pont. Max. deinde ex Europam redux, anno 1659. obiit & sepultus est in Prov. *Quam si* confiniis.

LVIII. P. JOANNES VALAT Gallus *Xun chi* Imp. an. 8. (1651.) fidem praedicavit in Prov.